

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ**

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis Pœnitentiæ & Extremæ Unctionis;  
necnon varia summorum Pontificum Decreta, contra Moralis corruptæ  
propositiones, & alia

**Genet, François**

**Parisiis, 1703**

Q. 3. Satisfactio est-ne necessaria ad validitatem Sacramenti Pœnitentiæ?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40817**

dum arbitrium & acerdotis : qua quidem præcipue fit per orationem , jejuniū , & eleemosynam.

Cujus rationem affect Divus Thomas , dum ait : *Dicendum quod Satisfactionio debet esse talis per quam aliquid nobis subtrahamus ad honorem Dei. Nos autem non habemus nisi tria bona ; scilicet bona animæ , bona corporis , & fortunæ , scilicet exteriora ; ex bonis quidem fortunæ subtrahimus aliquid nobis per eleemosynam ; sed ex bonis corporalibus per jejuniū ; ex bonis autem animæ non oportet quod aliquid subtrahamus à nobis quattuor ad diminutionem ipsorum , quia per ea efficiuntur Deo accepti ; sed per hoc quod ea submittimus Deo totaliter , & hoc fit per orationem.*

“ S. Tho. in  
“ 4. sentent.  
“ dist. 15. q.  
“ 1. art. 4.  
“ quæst. 3. in  
“ corp.

Competit etiam iste numerus ex parte illa , quia satisfactionio peccatorum causas excidit ; quia radices peccatorum tres ponuntur , pri mæ Joannis 2. *Concupiscentia carnis , concupiscentia oculorum , & superbæ vita.* Et contra concupiscentiam carnis ordinatur jejuniū : contra concupiscentiam oculorum , eleemosyna ; contra superbiam vitæ , oratio , ut Augustinus dicit super Matth. Competit etiam quantum ad hoc quod satisfactionis est , peccatorum suggestionibus aditum non indulgere , quia omne peccatum vel in Deum committitur ; & contra hoc ordinatur oratio , vel in proximum , & contra hoc eleemosyna ; vel in nos ipsos , & contra hoc ordinatur jejuniū.

Quæst. 3. Satisfactionio est-ne necessaria ad validitatem Sacramenti Pœnitentiae ?

Resp. Docet Concilium Tridentinum intentionem satisfaciendi Deo pro peccatis , quantum per ejus gratiam possumus , omnino ne-

D vij

## 84 TRACTATUS VI.

cessariam esse, ut eorum veniam consequamur, quoniam contritio hoc desiderium includit, ut supra ostendimus.

Certum est quoque actualem Pœnitentiam, quæ aliquam proportionem habeat cum enormitate peccatorum commissorum, necessariam esse ad eorum consequendam veniam, tum quoad culpam, tum quoad pœnam iis debitam.

Quocirca idem Concilium Tridentinum sic  
Concil. Tri. dent. sess. habet: *Contritio, Confessio, & Satisfactio,*  
§4. cap. 3. *quotenùs in Pœnitente ad integratatem Sacra-  
 menti, ad plenamque & perfectam pecca-  
 torum remissionem, ex Dei institutione requi-  
 runtur, hac ratione Pœnitentia partes di-  
 cuntur.*

*Idemque Concilium Tridentinum, sess. 14.  
 cap. 2. ait: Ad quam tamen novitatem, &  
 integratatem per Sacramentum Pœnitentia  
 sine magnis nostris fletibus, & laboribus, di-  
 vinā id exigente justitiā, pervenire nequa-  
 quam possumus, ut merito Pœnitentia labo-  
 riosus quidam Baptismus à sanctis Patribus  
 dictus fuerit.*

Nihilominus actualis satisfactio, absolute loquendo non est necessaria ad valorem Sacra-  
Concil. Tri. dent. sess. menti. Ut enim habet idem Concilium Tri-  
6. cap. 14. *Dicendum est Christiani hominis  
 Pœnitentiam post lapsum continere satisfactio-  
 nem per jejunia, eleemosynas, orationes, &  
 alia pia spiritualis vita exercitia; non qui-  
 dem pro pœna eterna, qua vel Sacramento,  
 vel Sacramenti voto una cum culpa remitti-  
 tur; sed pro pœna temporali.*

Quest. 4. Prodest-ne plurimum Pœnitenti-  
 bus, adire Confessores, qui illis injungant  
 Pœnitencias gravitati peccatorum convenien-  
 tes?